TECHE UDINE

MANOSCRITTI

FONDO JOPPI

Manoscritto n. J_MSS_0640

I manoscritti che compongono compongono il fondo, assieme alle migliaia di testi a stampa - compresi rari incunaboli e cinquecentine - il Fondo Joppi, sono quasi esclusivamente di interesse friulano. La raccolta si è formata nell'arco di una sessantina di anni grazie alle ricerche di Vincenzo ed Antonio Joppi.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine - Inventario dei manoscritti del Fondo Joppi

https://www.techeudine.it/fondo-joppi

https://www.sbhu.it/

MSS

Patuna e Crantz

sulle Terme di Monfalcone

Estratto della dissertazione inaugurale del Dr Thonhauser

1772.

640.
Joppi

BIBLIOTECA CIVICA DI UDINE

BIBLIOTECA CIVICA DI UDINE

Leopoldi Thonhauser, austriaci Vindobonensis nosocomii Hispanici Medici Adsistentis

DISSERTATIO
inauguralis, Medico — Chemica sistens analyses aquarum Egranae, Montisfalconis Venet:, Pouhont Stecknitzensis.

Quam

Authoritate, & consensu Illustrissimorum, perillustrium magnificorum, spectabilium, clarissimorum virorum.

Perillustris, Magnifici, ac Consultissimi Domini Universitatis Rectoris Reverendissimi, Illustrissimi, ac Amplissimi Domini Universitatis Cancelarii

Perillustris, Magnifici, ac clarissimi inclytae Facultatis Medicae Dom. Praesidis, et Direct. sec.

Perillustris, spectabilis, ac Magnifici inclytae Facultatis Medicae Domini Decani,

D.D. Sacrae Caesareo-Regiae Apost. Majestat. Consiliariorum, ac Archiatrorum,

nec non

Clarissimorum D.D. Professorum, Venerabilis Domini Senioris, & totius Amplissimi D.D. Medicorum Collegii,

Pro

Pro Doctoratus Laurea summisque in Medicina honoribus ac Privilegiis legitime consequendis Publicae Disquisitioni submittit.
Disputabitur in universitatis Palatio
Die XXX. Mensis Julii Anno MDCCLXXII.

E TYPOGRAPHEO KALIWODIANO.

MONTIS FALCONIS THERMÆ VENETORUM

Auctore
Expertissimo vindobonensi Medico, et Phisico Gradicensi
BARTHOLOM. PATUNA.

Montis Falconis Thermæ non multo Gradisca distant; locantur in valle paludosa, circumcirca montibus clausa, excepta profunda ad austrum apertura, per quam aqua ex hac valle fluvium quasi constituens leniter ad mare excurrit, ex quo per eandem naves mediocres intrant, & per canales ad thermas ipsas perveniunt medio quadrantis horæ spatio. Thermarum hæc vallis declivis est adeo, ut in maris æstu ma-

mare ipsum his aquis immisceatur, quod ipsum meo indicio facit, ut exhalationes putridæ aerem inficientes ibidem, & in viciniis, auram minus reddant salubrem. Thermæ ipsæ ad radicem monticuli a mari dividentis ad meridiem situantur undique parietibus exceptæ, olim operæ tecto, nunc nudæ; mineram aquæ calidæ sulphuream ex fundo hauriunt, quæ fluxum, & refluxum una cum mari experitur.

Thermis Badensium Austriæ caloris gradu eodem an remissiores? docuit Thermometrum Reaumurianum, quod aeri expositum gradum dum attingerat decimum, has gradum commonstrasse vigesimum quartum cum dimidio, hinc Farenheitii octuogesimum octavum cum dimidio. In experimentis vero ita sese gessere:

I. Cum sacchavo Saturni mox lactescit thermalis aqua, præcipitato albo pulvere.

II. Laminas plumbi nullatenus mutat, nec corrodit, nec ipsum tentat argentum.

III. Cum liquore tartari per deliquium illico lactescit in floccos albos, qui sensim præcipitantur resoluti; exsiccati hi flocci videntur dare salem medium cum pauca terra alba, qui sali marino similetur.

IV. A spiritibus acidis mineralibus non immutatur: tamen a spiritu nitri videtur odor sulphureus intendi aliquantulum.

Ceterum bis Doctissimus Vir thermas has exploraturus accessit, & bis ob infirmos revocatus evaporationi instituendæ otium habuit nullum, & hæc quidem per literas communicavit.

Eædem

EÆDEM THERMÆ.

Auctore et exploratore Clarissimo, ac Celeberrimo Professore CRANTZ.

Cum aquarum mineralium omnium historiam adornare vellem, primum fuit, ut eos omnino authores, qui recentioribus temporibus scripsere, coemerem: unde & Dominici Vincentii Raccolta di opusculi inediti riguardanti l'acque minerali dello Stato Veneto in Venezia MDCCLX. opus vel maxime mihi necessarium duxi; sed quantum sit in multis Scriptoribus inane hic liber docuit! dum neque Ornatissimus Doctissimusque Mediolanensium Medicinæ Doctor IANELLI, qui mihi librum Venetiis conscripserat, neque ullus nostrum eo patientiam edigere posset suam, ut pervolueret: equidem historiolas, coniecturas, antiquitates, inscriptiones loquaci sectatur pompa non quod in aquarum disquisitione sperasses, veram analysim, qualem tamen hac tempestate in tanta regionum omnium Chemiæ luce jure tuo aliquo expectare potuisses. Sed quid est, quod in tota Italia adeo aliarum historiæ naturalis, & Philosophiæ partium docta, & sapiente Chemia non excolatur? Hæc interea ex illo libro accipe:

Duobus monte Falcone italicis milliaribus Thermæ sunt, quas vulgus S. Antonii thermas vocat, quæ cum æstu maris crescunt, & minuuntur, cum solis motu calescunt magis, aut temperantur, coloris obscuri, bituminosi, & sulphurei odoris. Analysis chemica, aliaque mechanica experimenta, sine ulla tamen probatione, in his commonstrant pauculum sulphur blandissimo alumini nuptum, tum majorem vim salis marini. Sumuntur in balneum & potum, purgant, urinam, aliasque evacuationes mo-

movent: miraculosæ dicuntur, etiam, si his medicis credas, in omnibus morbis calidis & siccis; sed nolo legentium patientia abuti.

Thermalis hæc aqua in lagenis bene obduratis ab optimo **PATVNA** *transmissa, limpidissima, crystallina, concussa spirituosa cum miro intra lagenam resonitu, odorem hepatis sulphuris nullum habuit, sed saporem salsissimum, qualem neque in aqua marina me adinvenisse recordor; unde sequentibus subjeci experimentis.*

I. Solutionem argenti nitrosam, dum guttatim instillaretur quasi in summa superficie jam morabatur, coagulabat, & forma coagulatarum albissimarum striarum in fundum dimisit aqua, quæ non turbabatur; altera die album præcipitatum argentum, quod post quatuor dies ex albo leniter violaceum conspiciebatur lunæ corneæ colore.

II. A mercurii nitrosa solutione nivea in fundo nubes exorta est: altera die albus præcipitatus mercurius, & post quatuor dies albus perstabat.

III. Cum lixivio fixo alba statim, & ampla in fundo nubes oriebatur: sequenti die contractior in album pulverem resoluta concessit.

IV. A lixivio phlogisticato nubes dilucide cærulescens illico in fundo apparuit, quæ adfuso spiritu nitri genuino consumebatur: die altera nihil; & post quatuor dies subviridescebat quidem, martis tamen verum indicium adhuc non dedit, scilicet berolinense cæruleum non posuerat.

~~[illegible]~~

V. Dum nitri genuino spiritu acidularetur, passa nihil est; superadfusum fuit lixivium phlogisticatum, nec

nec tunc quidem in alteram diem mutationem commonstravit ullam, nec quarta cæruleum berolinense deposuit.

VI. Ab auri pigmenti liquore intensius hepar sulphuris redolebat ceterum immutata ultimo tota turbabatur.

Ex quibus, ut etiam ex sapore de muriatica aquarum indole satis certus, in vase florentino, moderatissimo balnei arenæ calore ad medietatem fere evaporabam hujus aquæ Thermalis libras binas, quæ cuticulam salinam contrahere incæpere, & evaporatione progrediente vitrum nivea albedine incrustare. Evaporatione ad perfectam siccitatem deducta ultra medietatem, ad fundum niveo sale incrustatum vitrum fuerat, quod minimis coiverat granulis, nulla muriatici salis, nisi, dum contusus est, forma: pendebat drachmas duas, grana quinquaginta quinque, & post duodecim horas in aere humido adsumpserat præter præcedens pondus pondus granorum viginti & unius: dum aqua destilata calida elutriaretur, susurravit & ebulivit eo recte cum strepitu, quem in lagena concussa aqua semper faciebat.

Colatura prima vix multum colorata tincturam curcumæ in rubro-brunnam transmisit non in rubram, nec pallide viridem, data fuit evaporationi hypocausti, contraxit hinc inde in superficie miculas salinas, quæ brevi in cubulos naviculares concrescerent, modo innatantes liquido, modo in fundum demersos: augebantur hi mole, & erant majores, minoresve, ultimo crusta salina obducti fuere, ponderabant cum crystallisationis debita aqua sicci attactu drachmas tres, grana viginti quatuor. A fornace hypocausti remoti etiam ad fenestram moderate calefacti cubiculi positi madescere videbantur, in fri-

frigido loco madescebant magis.

Colatura secunda, ex elutriata in filtro, alba amylo simillima substantia, minus adhuc colorata, evaporatione lenta calida hypocausti primo monstravit in superficie natantes salinos atomos, dein frigori data est; sal muriaticus, uti in priori non coibat: data iterum calori hypocausti ad absumptionem aquæ; & erant in margine cubi cruciatim in angulis secti, in centro salini atomi ad selenitis formam accedentes; omnia pendebant grana novem.

Residuum incrustatum vitro florentino cum aqua forti ebulIit, residuum filtri albogryseum pendebat siccatum grana septem. Cum acidis fossilibus multam efferbuit partem, solvi non est visum; & cum lixivio phlogisticato dedit indicia ferri; & cum acido salis genuino salem fasciculato-acicularem crystallinum, non cubicum; ut hic discerem, quod diu suspicabar, dari etiam selenitem muriaticum. Ad hæc cum acido vitrioli in tubera non bene crystallisavit; cum acido nitri efferbuit, non omnis solvebatur tamen, & ivit in aciculas salinas, non fasciculatas; & hæc quidem laboris hujus producta fuere.

Lenissimo hypocausti calore evaporo hujus thermalis libram medicam unam: clarissima diu stetit, & dum jam per aliquot dies noctesque evaporationi exposita esset in dilutissime cæruleum turbabatur, bullulas aëriparum in exiguas admodum in circulo maximo contrahebat inde etiam flocculenta facta est.

Incrustatum ad latera vitri, derasum, fundum petiit, aqua clara mansit; colata parum ab altera aqua diversa fuit. Tincturam curcumæ in sordide flavum transmisit, & data est evaporationi. Residuum in filtro, & vi-

vitro fixi salini granorum duorum semis, iterum elutriatum colatum dedit coloraturam secundam. Colatura prima diu & probe nunquam crystallisari voluit, in crustas & conglobatos cubos coivit; ad perfectam siccitatem, ad quam diu cogi noluit, deducta, ponderabat drachmam unam, grana quinquaginta duo: colata denuo crystallos exibuit cubicas minores cum alia incrustatione salina.

Colatura secunda dabat crustam salinam granorum duorum indistinctam, salem muriaticum potissimum sapientem: rursus crystallisata dedit infinitos cubulos parvos & non alium salem.

Pulvis sordidus tener vix grani semis pondere totus absumebatur spiritu nitri, & adjecto lixivio phlogisticato, martis dabat indicia clarissima & citius, & manifestius, quam in superiori experimento.

Terra his Thermis duplex est: hæc, quæ cum spiritu salis in naturali statu faciat muriaticum salem, & acidis pateat; illa refractaria magis, & quæ cum acido salis perpetuo constituat selenitis speciem fasciculato-plumosam, acicularem, mollem, sericeorum apicum, Galli houpe vocant, in moram. Is selenitis, acido salis exsurgens, acidi salis dotes non habet; cum aqua forti aquamregis non facit; mercurii solutionem, in morem selenitis vitriolicæ prosapiæ in citrinum viridem aut deiicit, aut adglutinat. Sed quæ hæc mirabilitas est? an hic acidum salis in illud vitrioli mutatur? aut an terra acidum specificat? aut demum an vitriolicum in terra præsentem selenitem magis extricat.

Duplex itidem sal est; muriaticus is & copiosissimus: alter parcior, seleniticus ut videtur, sed granulosus priori admixtus intime, ut purgari non possit: & is nunc est experimentis expiscandus.

I. Sapo-

I. Sapore aliquid stiptici habet, ut forte inde alumen inesse dixerint: sed a boracis solutione passus est nihil.

II. Sal prior, sed muriatico inquinatus, aqua solutus adjecto lixivio alcalino caseose coagulabatur; aqua decantata evaporata multos dedit cubos, terram in centro albam, hinc inde unam crystallum columnarem, sed raram. Salem amoniacum sibi admixtum non habuit; nam nec cum lixivio fixo nec cum calce viva, nec cum tartari sale tritus odorem urinosum spargere solvit.

III. Præcipitatum album numero secundo elutriatum frequenter, ut lixivio alcalino liberetur vitrioli spiritu absorptum, illico crystallisatum dedit selenitem fasciculato-aciculavem, & echinatum pulcerrimum salem, non tartarum vitriolatum nec alumen, nec alium salem.

IV. Sal ille colaturæ secundæ, experimenti primi ad selenitis genium accedens; pertinaciter vitro, in quo fuerat crystallisatus, ut muriaticus non adhæsit: difficulter, imo vix in aqua solvebatur totus, quam non turbavit. Gustu erat asper, terreus, vix multum sapidus: in aqua solutus sibi amaritiem conciliare videbatur. I. Solutus in destillata aqua cum tinctura curcumæ ex viridi flavicans, dein magis viridis factus est cum motu quasi intestino seu formicationis. II. Cum crystallorum mercurii solutione illico lactescebat totus circumducta in media altitudine: ultimo tamen aqua claruit & citrinus præcipitatus est mercurius. III. Cum solutione argenti lactescebat; nubem duxit in centro-albo cineream: tum flocculis caseolis albidis dejectum argentum est; & aqua lactea perstabat in priori, & hoc experimento, ut duplici affinitate in se agere hæc videantur: ultimo cinerea facta est, & præcipitatum colore fusco conspiciebatur argentum cum albo sedimento.

IV. Vivo

IV. Vivo carboni inspersus, pars ut sal marinus decrepitabat, pars ne loco movebatur, nec diffluebat, ignis patiens, quæ sane vere selenitica fuisse videtur, dum adhuc cum alcalino lixivio decomponeretur; ceterum non potuit a muriatico sale probe separari.

V. Ex evaporatione illa hypocausti, quæ nunquam voluit probe crystalisari, elutriatus multus similis seleniticus sal, qui in aqua solvi nollet, remansit, multæ etiam terræ, ut videbatur junctus. Hoc, quod nec separari potuit facile, aggregatum 1. in aere humido admodum siccum pulverulentum mansit, nec defluxit; cum spiritu salis aliqua sui portione efferbuit; minime in integrum solvebatur; hujus mixturæ colatura evaporata dedit pulcerrimum salem floccorum nivis, seu fasciculato-acicularem, niveum radiis, fine trifidis tamen, & in fundo vasis granula minima salina.

Flocculi modo dicti in aqua vix solvi videbantur, & cum solutione argenti cærulæ lactescebant: ultimo ex violaceo rubrum præcipitabant argentum; cum solutione mercurii nitrosa nubem facere gryseam, quæ in infimo fundo circulum sulphureum adquireret, quasi ab acido vitrioli. II. Cum acido vitrioli selenitici, sed a priore distincti salis signa & indicia dedere, & salem ex selenitico confluentem tubarosum non tamen tartarum vitriolatum forma adeo, quam, sit venia verbo, aliqua in hanc inclinatione referentem.

VI. Salis confusanei notabilem satis portionem sublimare studui: prodiit primo aqua acidula, dein spiritus salis & in superiori vasis fornice, candente jam cucurbita, aliquid sublimatum fuit album & paucum, gustus judicio leniter salinum; quod aqua salina solutum crystallisatum minimos exibuit cubulos salis communis. Solutionem mercurii illico in album pulverem dejecit; cum calce viva nullum ammoniaci salis signum dedit. Residuum in fundo retortæ excussum facie terreum magis, siccissimum, nocte pluvia totum maduit; altera

ra die, solutum aqua destillata adjecto lixivio fixo coagulatum sensim, & præcipitatum fuit; elixiviato aliquoties & in pulverem albissimum converso spiritus vitrioli superfusus fuit: is eum cum vehementi efferuescentiæ motu illico absumpsit, vix totum tamen. cryStallisationem regularem exibere noluit, quod forte acidum exsuperaret.

VII. Terra ex adfuso tartari sale præcipitata elixiviata constanter salem seleniticum exhibuit: ex alumine eodem modo tractato hujus salis nihil obtinere potui, ut denuo alumen illi thermali aquæ comixtum esse non videatur.

VIII. Nec est in thermali hoc confusaneo aut separato sale nitri vestigium, licet id apud Dominicum Vincenti asseratur; nec est, quod solum pro nitroso imponere potuisset, salis mirabilis vestigium.

Ut ergo Montis Falconis Venetorum Thermæ videantur constare thermali phlogisto, parcissima ferri dosi terra duplici, hac acido nitri solubili, refractaria illa; copioso marino sale selenitico granuloso parco. Sed si vitriolicus is sit selenites, quid est, quod vitrioli acidum majorem habeat affinitatem cum terra, quam alcalino vero minerali sale, & hic non producat potius salem mirabilem Glauberi, cujus vestigium in his ego quidem non inveni? quid est, quod spiritus salis cum terra illa refractaria producat semper selenitem difficulter in aqua solubilem, & in spiritibus acidis nec genitoris tamen genium referat? si alumen non inest, quid est, cur sal hic adiecto alcali fixo coaguletur? an hoc cum alumine aliæ commune habent terræ? aut an demum his inest sal muriaticus argillaceus? de quo omnium primo meminit Illustris Monnetus.

BIBLIOTECA CIVICA DI UDINE